

populos ita innotuisset, vt homines pij tandem intelligere inciperent, nihil scholis atq; honestis disciplinis neq; ad conseruandam veram Christianæ religionis doctrinam, neq; ad retinendam publicam in Reb. ciuilib. concordiam efficacius vel ex cogitari, vel institui posse: ibi tum Augustissimi Principes & Duces Austriae, RUDOLPHVS III. ALBERTVS III. & LEOPOLDVS II. fratres ex Alberto II. Germani, ex singulari bonarũ literarũ amore scholam hanc antiquissimã, vt illis domestica esset atq; intima, et quo securius boni viri Philosophiæ studio incubere possent, ad supremam huius vrbs curiam, in suam quasi familiam transtulerunt, atq; ex ea de nouo publicum hoc & Augustissimum instituerunt GYMNASIVM.

CVI primum amplissimus locus atq; totum illud spacium latissimũ quod ab ipsa curia iuxta vrbs moenia à meridie versus occasum ad portam quæ vulgo dicitur Scotorum vsque protenditur, destinatum fuit atq; Decretum. Mox optimi Principes amplissimis id dotarunt censibus ac summis illustrarunt priuilegijs. Professoribus honestissima statuerunt stipendia: atq; hominib; eruditis veluti præmia quædam virtutis & doctrinæ, varios dignitatis gradus ac summos decreuerunt honores.

TVM ETIAM, vt nihil quod ad solidam pertinet Remp. deesset, vocati sunt huc ex antiquissimis & probatissimis Scholis viri aliquot eruditione & prudentia Clarissimi, qui hanc Academiam iisdem instituerent moribus atq; disciplinis, quibus olim celeberrima totius vrbs Gymnasia, apud Grecos Atheniensium, apud Latinos Romanorum, apud Gallos Parisiorum fuerant instituta: vt ex optimis maiorum studijs optimam facerent Scholam.

ATQVE penes hos omnem tum Academiæ huius authoritatem & arbitrium per annos pene duodecim positum fuisse,